

Sigismundus primus rex Poloniae, capitulo ecclesiae Gnesnensis.

80

Venerabiles devoti nobis dilecti. Declaravit nobis aliquoties magnificus Hieronymus de Lasko palatinus Siradiensis, unã cum generoso Stanislao fratre suo, reverendissimum dominum archiepiscopum in animam sibi induxisse, ut ea fundatio, quam ex certorum sacerdotiorum proventibus eius predecessor reverendissimus dominus archiepiscopus proxime defunctus fecit et ordinavit, distrahatur et prorsus fiat irrita. In qua re cum et sibi, et defuncto patris non mediocre praevudicium afferri dicerent, supplicarunt nobis ut hac in re, eorum rationibus pro auctoritate nostra et gratia consulamus. Quare nos petitione illorum permoti, et simul quod aequum et iustum censeamus, ne mortuorum acta sine iusta et legitima causa retractentur; hortati sumus reverendissimum dominum archiepiscopum presentem, ut ita cum dominis de Lasko negotium hoc tractet et componat; ne et ipsi et defunctus patris eorum, praevudicio afficerentur. Devotiones etiam vestras presentibus hortamur, ut quantum in se est paternitati suae hoc suadeant, quod et honestatis et aequitatis rationes postulare videbuntur, neque com-

mittant

mittant, ut concessionem et decreta semel
roborata, nunc diversis sententiis, et contra-
riis suffragiis mutantur et infringantur.
Facturae devotiones vestrae rem suo officio
et professione dignam, et praeterea equam,
piam, decentem, et nobis singulariter gra-
tiam. Datum Craucio die octava Aprilis
anno Domini millesimo quingentesimo tri-
gesimo secundo, regni nostri vigesimo sexto.